



Duplex S.  
Cœnæ con-  
sumtus.

I. **V**erissimè equidem Tertullianus , de celebri Parabola Matth. 22 : 1-14. Luc. 14 : 16-24. sciscitur : *Illa Cœnæ paratura, vitæ æternæ satietatem figurat.* Eadem tamen Mysticæ Cœnæ , quæ arctissimæ simulque beatissimæ cum Christo conjunctionis & Symbolum & medium est, indolem planissimè explicat. Illud imprimis , quòd res sanctissima, à duplici hominum classe indignissimè habeatur. Ab illis inquam, qui ad eam invitati , eam negligere religioni non ducunt : animæ pabulum fastidioso stomacho averfantes. Tum & ab illis, qui non quâ decet reverentiâ & pietate , ad eam se parant : ad sanctissimas epulas, tanquam ad gregariam mensam (ne durius loquar) animo impuro , manibus illotis , *tunicâ à carnis contactu maculatâ* , Jud. v. 23. irruentes. Ita, proh nefas ! miseri homines, maxima quæque Dei beneficia contemptu profanant ; & in ea quidem ferme iniquissimi sunt , quibus frequentissimè frui illis datur.

S. Cœna à  
multis fasti-  
dita.

II. *Posterorum* petulantiam aliis retundendam relinquimus. *Priorum* profanitas , à securitate est & seculi studio : fortassis etiam à veterano aliquo , qui ipsos detinet, ne mentis immortalis curam, quâ contentione oportebat , suscipiant. Itaque pensi non habent, animus sive esuriat, sive pabulo salutari reficiatur : langueat, num satur sit. Mensam Domini , *ex qua spiritualis jocunditas & saturitas* (cum Tertull. adv. Marcion. IV. 32. ut loquar) recipitur , nauseant & tanquam saturi prætereunt. Jejunium ab ipso Satana indictum ! Quidni verò ? Ut corpus nisi alatur moritur, ita anima. *ὡς ἐτύχε θεοσιένοια, κινδύνη.* *Imparatum accedere , periculosum est : Omnino abstinere famem & mortem causatur.* Chrysost. homil. 24. in 1. Corinth. Neque leviori piaculo tenentur, quos animus irreconciliabilis, & à fratre alienus , moratur. In plurimorum & maximorum scelerum laqueis hæerere & perire, quàm leviculæ offensæ gratiam proximo face-  
re